COMMENTATIO EPISTOLICA JURIS ECCLESIASTICI IN MATTH. 5, 32. DE IUSTIS...

Lorenz Reinhard, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

Digitized by Google

VIR
PRÆNOBILISSIME!

Magna ſunt TVA & præclara in rem publicam, ſacram, & litterariam apud nos merita, & tanta quidem, ut nulla unquam oblivio illa obſcurare queat. Poſſem hic copioſius, cum communi omnium bonorum conſenſu, TVAS extollere laudes, quæ nomen TVVM commendant utique immortalitati perenni; at inſignis, quæ TIBI ornamento eſt, modeſtia impedit, quo minus hanc telam pertexam laudabilem. Verumtamen ut publicum aliquod meæ in TE obſervantiæ exſtet monumentum, exiguum iuris eccleſiaſtici ſpecimen TVIS ſiſtam oculis, TIBI, ſvaviſſimæ VXORI, & ſpei pleniſſimæ PROLI TVÆ quævis precatus proſperrima.

Conjugium eſt *conventio maris & feminæ, mutuo conſenſu inita, de cohabitatione mutua, generatim mutuæ felicitatis ergo, ſpeciatim arctioris ſubinde animorum conjunctionis, mutui adjutorii, procreandæ ſobolis, & exſting-*

Digitized by Google

uendæ libidinis cauſſa. Quidquid ergo certiſſimos hoſce tollit conjugii fines, illud habet λόγον τῆς πορνείας (*), ideoque, ex ipſius Salvatoris noſtri effato (**), iuſta eſt cauſſa divortii.

Prima igitur divortii *cauſſa* eſt adulterium; niſi uxor ad adulterium vi ab alio coacta fuerit, vel altera pars ex ignorantia rem cum alio habuerit, vel maritus auctor ſvaſorque adulterii fuerit, vel pars innocens porro parti adulteræ cohabitationem præſtare (***) lubens velit.

Altera cauſſa eſt deſertio malitioſa 1. Cor. VII, 4. 5. de qua accurate diſſerit *b. D. Bechmannus*, æternæ gloriæ Theologus Jenenſis, (****) in *Theol. morali* p. m. 505. ſq. ubi etiam nimi-

(*) Hæc verba per *proportionem cum adulterio* transferenda eſſe, iudicarunt Theologi præſtantiſſimi, *D. C. E. Brochmannus* & celeb. *Jo. Chriſt. Wolffius*. Vid. huius *Cur. Crit. & Philol. in IV. Evang.* p. m. 103. Idem ſentit vener. *D. Moshemius* in diſſ. mox laudanda.

(**) Matth. V, 32. Conf. *Decimas* meas *Exegeticas* part. 1. p. 34.

(***) Conf. *b. D. Fridem. Bechmanni* Theol. Mor. p. m. 502. ſq.

(****) Quid conjugi deſertæ faciendum ſit, ut retineat bonam conſcientiam? exponit *b. D. Frider. Balduinus* in *Caſibus conſcientiæ* p. m. 903.

Digitized by Google

nimiam mariti in uxorem ſævitiam malitioſæ deſertioni æquiparari (*) debere adſerit.

Tertia cauſſa ſunt inſidiæ vitæ conjugis ſtructæ, (e. g. per attentatum veneficium) de quibus in peculiari diſſertatione, a. 1702. Halæ Magdeburgicæ habita, expoſuit illuſtris *D. Samuel Stryckius;* cui adſtipulatur ex Theologorum numero *D. Io. Mich. Langius* in comment. *de nuptiis & divortiis* p. m. 140.

Quarta cauſſa ſunt mores alterius conjugis (**) intolerabiles, nullo emendabiles modo, & exinde ortæ inimicitiæ irreconciliabiles. De quibus verboſe diſſerit illuſtris *D. Iuſtus Henning. Boehmerus* in egregia diſſertatione *de Iure Principis circa divortia.*

Quinta cauſſa eſt crimen Sodomiæ a conjuge patratum, ex ſententia ſumme venerabilis *D. Io. Laur. Mosheimii* in diſſert. *de divortiis* p. m. 40. ſi nimirum delinquens, per ſingularem Principis gratiam, capitis liberetur periculo.

(*) Adſenſum ei præbet maximi vir nominis, *D. Chriſt. Thomaſius*, in egregiis notis ad *Jo. Pauli Lancelotti*, Peruſini, *Inſtitut. Juris Canonici.*

(**) Hos per σκληροκαρδίαν Matth. XIX, 8. indicari, ingenue confeſſus ſum lib. cit. p. 35.

Sexta cauſſa eſt inſignis infamia conjugis alterius, ex propria vitæ turpitudine contracta, & ante contractum conſummatumque matrimonium alteri plane ignota. Ita rectiſſime iudicant viri illuſtres, *D. Io. Laur. Fleiſcherus* & *D. Io. Georg. Pertſchius* in iuris eccleſ. inſtitutionibus.

Septima cauſſa eſt præfracta debitorum conjugalium denegatio. Conf. celeb. *D. Pertſchii* elem. Iur. Eccleſ. p. m. 492. & Commentatores præſtantiores in 1. Cor. VII, 4. ſqq.

Octava cauſſa eſt malitioſe procurata ſterilitas, itemque petulans abortus procuratio, iudice JCto celeberrimo, *D. Brunnemanno*, in *Iure Eccleſ.* p. m. 659.

Nona cauſſa eſt morbus conjugis ſonticus & contagioſus, antea plane ignoratus, iudicibus *b. Nicol. Chriſtoph. L. B. de Lyncker* Deciſ. LXXI. & *b. D. Brunnemanno* lib. cit. lib. 2. c. 33.

Decima cauſſa eſt impotentia conjugis naturalis, non ſimulata, iudice *b. D. Balduino* in *Caſ. Conſcientiæ* p. m. 897. ſq. qui *b. D. Mart. Lutherum* ipſum ſibi adſenſum præbere contendit in libro *de vita conjug.*

Vndecima cauſſa eſt defectus ſpontanei conſenſus, ſive ab alterutra conjugum parte, ſive ab utra-

utraque, & conſenſus coactus(***), a parentibus ſæpius per vim extortus. Id quod certiſſima iuris divini naturalis principia liquido confirmant. Hinc facile quoque dijudicari poteſt quæſtio: an propter mutuum conſenſum & ſponſalia diſſolvi & matrimonia dirimi queant?

Duodecima cauſſa exſiſtit, quando conjux, inſcio & invito tori ſocio, tale quid committit, ob quod cum infamia patria carere debet exſul: hoc enim pactum matrimoniale reddit prorſus irritum, iudice celebratiſſimo Abbate *D. Mosheimio* diſſert. cit. p. m. 43. ſq.

Duodecim hæ divortiorum cauſſæ eo magis præſtantiſſimorum Theologorum adſenſum merebuntur, quod ſupra commemoratos conjugii fines ex ipſa ſacra ſcriptura demonſtravi tum in *Theol.* mea *Morali* p. 77. ſq. §. 7. tum in *Theol.* mea *Catechetica* p. 67.

Habes itaque ſententiæ meæ de divortiis rationes ex ſyllogiſmo univerſali, ſupra indicato, nexu neceſſario ſequentes, & doctisſimorum virorum conſenſu ſollicite ſtabilitas atque confirmatas. Non ignoro, TE hæc omnia dudum

(***) Ipſe *Lancelottus* libri cit. p. m. 100. edit. Francofurti an. 1591. evulgatæ adfirmat, coactionem & iuſtum violentiæ metum impedire matrimonium.

Digitized by Google

dum habuiſſe multo melius cognita, perſpecta atque explorata (****); ſed probe perſpicio, brevem hanc commentationem ideo TIBI haud ingratam fore, quod magnopere diligis theologorum in iure eccleſiaſtico perſcrutando diligentiam, & libenter de utroque iure cum eruditis conſeris colloquia, ex quibus ego aliquoties fructum cepi uberrimum. Ego ſaltem hac ipſa epiſtola, quanti TE faciam, declarare volui publice, meamque ſententiam TVO ſubiicere examini atque iudicio. Vir es, qui SERENISSIMO PATRIÆ PATRI (quem DEVS omnibus beatitatibus cumulatum diutiſſime nobis ſervet incolumem!) & univerſo Principatui utiliſſima præſtat officia. Quis TE non ornet encomiis? Quis TE non proſequatur honore? Quis TIBI TVISque non precetur proſperitatem perpetuam? Quis TIBI placere non ſatagat? Vale, VIR OPTIME! & tum me amare deſine, cum virtuti ſtudere & eruditioni vacare deſiſtam. Vale, resque TVAS ex votis TVIS perage feliciter. Scripſi Vinariæ pridie Calendarum Junii A. R. G. M DCC XXXVIII.

(****) Quæ ſententiæ meæ ex Matth. XIX. opponi poſſe fortaſſe nonnullis videbuntur, ea cum inſigni eruditionis adparatu eleganter diſcuſſit ſumme venerabilis *I. C. Wolffius* Theologus Hamburgenſis, libri ſupra laudati pag. m. 378. ſq.

Digitized by Google